

## PSALMVS XLVII.

AD PRÆCINENDVM FILIIS KORE, PSALMVS.  
ARGVMENTVM PSALMI.

**A**mplitudinem gloriae Dei, quam vnus Iudeorū populus capere non potuit, in vniuersas Orbis nationes spargendam praevidet spiritus propheticus: atq; adeo, quasi iam illa passim vbiq; terrarū declarata sit, quod tamē futurum demū erat sub Christo, omnes populos ad laudē Deo decantandā cum summa animi exultatione inuitat. Est autē possibile, aliquid in iusto populo Iudaico praecessisse, tanquā typū quendam eius, quod in Christo futurum erat. Vnde quidam putant, Psalmum per occasionem eius tripudij & gaudij factum esse, quo arca sub Salomone in templum collocata & dedicata est, de quo est 2. Paral. 5.



**Q**MNES populi plaudite manibus, iubilare Deo in voce exultationis.

VERS. I.

Lectio conuenit.

Inuitationem ad iubilandū & exultandum in Deo habet hic versus. Inuitat autē non aliquos tantū, sed omnes populos. Maiorem enim gloriā Dei agnoscit, quā quae vni tantū celebranda sit populo. Deinde non ad frigidam aliquā lātitiam, sed ad exuberantissimam exultationē inuitat & excitat, dicens: *Plaudite manibus, iubilare in voce exultationis.* Exigit tam exuberans cordis gaudium, vt in extraneos corporis gestus erumpat.

EXPLA-  
NATIO.

Notandum est isto versu ingenium eorum, quorum pectora illustratione & cognitione diuinæ gloriæ ad laudandum Deum accensa sunt. Illi non satis habent, quod ipsi Deum laudant, nisi & quosuis ad laudem Dei excitent. Agnoscunt enim tantam esse gloriā Dei, vt digna sit quae ab vniuersis creaturis laudetur. Duo sunt hominum genera, quae diuerso planē hac in re sunt ingenio. Vnum eorum, quibus quæstus quæritur sub titulo laudis Dei. Exemplo sint sacrificuli Pontificij. Hi ferre nequeunt, vt laus Dei in Ecclesia Christi decantetur ab omnibus. Prætexunt hoc ipsorum esse officij. Signum est, quod quæstum quærent, non laudem Dei. Alius erat affectus Mosis, dicens: *Quis det, vt omnes prophetent?* Num. 11. Alterum eorum, qui ferre quidem possunt Deum ab alijs etiam laudari, imō & eos qui hoc se facere simulant, impensis suis facultatibus subleuant, verū ipsi nullo laudandi Dei affectu tenentur: sed hoc pacto, quod agnoscunt se debere Deo, per alios exequi volunt. Et hæc duo genera mortalium, cultum Dei in Ecclesijs occuparunt: quae si auferas, videas planē omnem laudem Dei quam simulant, intercidisse.

OBS. I.

Omnes po-  
puli.

**B**, *Plaudite manibus, iubilare in voce exultationis.* Notandū hoc loco ingenium cordis, quod sensum gloriæ Dei accepit, & ad laudandum illum excitatum est. Effundit se in gestus corporeos. Contineri enim nequit æstus cordis: sed in exteriora prorumpit: non quod exteriora Deo per se placeant, sine affectu & veritate cordis: sed quod ita habeat conditio mortalium, vt ex abundantia cordis & os loquatur, cantet & iubilet, & manus plaudant.

OBS. 2.

2. *Quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram.*

Lectio concordat.

Rationem subiungunt, quare omnes populos admoneant, vt plaudant manibus, & voce Deum celebrantes iubilent. *Quoniam Dominus, inquit, excelsus & terribilis. Excelsus* vocant, propter sublimitatem & amplitudinem imperij & potestatis, quam habet absolutam in omnia: *terribilis*: id est, qui sit metuendus & suspiciendus, propter omnimodam illam potentiam. Illud, *Rex magnus super omnem terram*, quasi declarationis vice positum est. Regia potestas apud mortales plurimum suspicitur & celebratur. Facit ergo Deum regem, eumq; magnum, nempe *super omnem terram*: id est, super omnes totius Orbis nationes.

EXPLA-  
NATIO.

Rogārit hīc quisquam, quomodo hoc ad cordis excitandam exultationem faciat, quod Deus est excelsus & terribilis: cum magis ad incutiendam incertitiam faciat consideratio diuinæ sublimitatis, nemini non terribilis? Dixisset potius: *Quoniam benignus Dominus & iucundus, rex clemens super omnem terram*, Oportet igitur potentiam & sublimitatem, amplitudinemque diuinæ virtutis tale quid esse, quod meritō faciat ad exhilaranda mortalium pectora. Et ita habet. Tyranni potentia incertitiam incutit, non regis optimi ac clementissimi: sed, inquit, *Quoniam terribilis est.* Verū & hoc solatio est, sed adflētis, licet terrorem incutiat reprobis.

OBS. I.

*Rex magnus super omnem terram.* Quod Deum facit regem super omnem terrā, documento sit, diuina prouidentia omnia gubernari. Deinde omnē huius seculi tyrannidē contemptibilem nobis reddat. Si super omnem terram rex est Deus, ostende mihi aliquē regem, qui verē rex sit. Ita Domini cam orationē concludimus, dicentes: *Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula, Amen.*

OBS. 2.

3. *Adegit populos sub nobis, & gentes sub pedibus nostris.*

4. *Selegit nobis hereditatem nostram, magnificentiam Iacob, quem dilexit Selah.*

*Hereditatem nostram.* Ebr. *אֲרָמָהּ*. Cræc. *ἀρμά*, Sibi. Vulg. Lat. *Suam*. Et Arabs legit, *Sibi*.

*Magnificentiam Iacob.* Vulg. Lat. *Speciem Iacob*. Hieron. *Gloriam Iacob*. Ebr. *אֲרָמָהּ*.

*Quem dilexit.* Græc. & vulg. Lat. *Quam dilexit*. Sic & Hieron. & Iustin. & Pagn. *Felix, Campensis, Felinus & Tigurina legunt, Quem*.

LECTIO  
Vers. 1.

His versibus, quod superiore dixerunt, Deum esse regem magnum super omnem terram, quasi per exemplum probant, vel certē futurum vt probetur, vaticinantur: nempe fore, vt omnes gentes, & populi subdantur Israēli: quod in regno Christi factum est, iuxta prophetiam Esaiæ 2: *Et fluent*

H ad eum